DE VOCE כן *Chen*

IN *TRUNCUM* ET *TRUNCO* IN *CRUCEM* VERSIS

UNDE

INCOGNITA HACTENUS DE *CRUCE* VATICINIA

IN SACRO HEBRAICO TEXTU

CL. VIR

FRANCISCUS ANTONIUS BALDI

HONORARIUS

A CUBICULO SUMMI PONTIFICIS, ET VATICANÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

A SE DETECTA EXHIBUIT

LUCUBRATIUNCULA

FR. MAURITII BENEDICTI OLIVERII

ORD. PRÆD.

ROMÆ MDCCCXVII.

EX TYPOGRAPHIA CAROLI MORDACCHINI

Superiorum facultate.

LECTORI.

Novem ab hinc annis vir doctrina, muneribus, dignitate, morum suavitate, integritate, eximius, atque scriptis eruditionis suae, religionisque monumentis post se relictis, sive in publicam lucem editis, sive privatim servatis, commendatus (quem mei amantissimum honoris causa nomino) tunc in vivis agens, Vincentius Pani Sacri Palatii Apostolici Magister, mihi, tanquam hebraicarum literarum professori, opus quoddam cl. viri Francisci Antonii Baldi percensendum dedit, ut judicium meum de Crucis vaticiniis ferrem, quae hactenus incognita in hebraicis scripturis se detexisse sibi videbatur, quaeque ostendenda, atque illustranda susceperat. Id opus jam duo cl. viri probaverant. Ego tamen percurrens, ingenium quidem Auctoris, latini sermonis elegantiam, religionis saporem, aliasque dotes suspiciebam, quibus speciem probabilitatis suis adinventis conciliabat. Sed mihi pacata mente consideranti vera ab eis probabilitas adhuc abesse videbatur. Meam ergo censuram sic temperavi, ut auctorem quidem commendarem, et ingeniosae lucubrationis edi-

tioni me non obsistere declararem; verum simul profiterer, me de vaticiniis Crucis, quae Auctor se detexisse existimabat, aliter sentire, eorumque inanitatem, ob eas, quas tangebam, rationes, persuasam habere. Hanc laudato Reverendissimo Pani, libris edendis praeposito, trado, quam ipse Auctori permittit. Auctor librum in approbatione confutari queritur. Ait integrum mihi esse, illum, cum editus fuerit, impugnare. Edicit, se mea censura, ita se habente, uti nolle. Quamobrem nihil minus cogitabam, quam post novem annos, postque tot rerum conversiones, nomen meum inter operis approbatores reperire. Ecce tamen, praeeuntibus duorum laudatorum virorum censuris, anno 1808. exaratis, subsequente nova alterius cl. viri, id. Nov. an. 1816. consignata, haec (pag. XIX.) lego: ,, In eandem fere sententiam alius ejus-
,, dem ordinis vir cl. et eruditissimus, qui
,, nuper eodem jussu iterum recensuit librum,
,, novem ab hinc annis subscripserat his ver-
,, bis: Nihil obstat. Fr. Mauritius Benedictus
,, Olivieri S. Th. Magister Ord. Praed. He-
,, braicae linguae in Rom. Archigymn. et Grae-
,, cae in Colleg. de Propag. Fide de Urbe Pro-

„ fessor „ . Nempe, me *nuper eodem jussu iterum recensuisse librum*, nescio quomodo excidit: atque, illa mea libri censura praetermissa, editum tantum fuit id *nihil obstat*, quod in calce ms. de more apposueram. Haec in causa fuerunt, ut meam sententiam rectae fidei, pietati, reliquisque cl. Auctoris ornamentis devotam; hujusmodi tamen vaticiniis et olim et impraesentiarum adversam, perbrevi scripto, quibusdam viris harum rerum amantibus communicato, declarare vellem. Epistola autem primum erat, Eminentissimo Cardinali, orientalis literaturae fautori, inscripta, ad quem reapse misi. Jam vero illa fere continebat, quae hic subjiciuntur, quorum quidem edendorum cogitationem deposueram; nunc autem hujusmodi consilio, cui haud fas duco obsistere, typis trado.

Opus, de quo sermo nobis est, prodiit Romae MDCCCXVII. typis Michaelis Puccinelli, inscriptum: ,, Francisci Antonii Baldi, Hono-,, rarii a cubiculo Summi Pontificis, et Va-,, ticanae Bibliothecae Praefecti, Incognito-,, rum hactenus Vaticiniorum de Cruce ad ,, Pium VII. Pontificem Maximum Interpre-,, tatio ex Hebraeo, et Declaratio ,,. Vaticinia autem de Cruce, a nemine hactenus prodita, a se detecta, Auctor contineri in sacro hebraico textu non solum ostendere sibi sumit; verum iisdem interpretandis, atque declarandis occupatus, ad quamplura excurrit. Ego tamen de una vaticiniorum instituta ostensione disseram. Jam vero cum nemo hactenus cognita sibi fuisse dixerit (quod Auctor vel in ipsa libri fronte significat) nullis ab auctoritate confirmari posse argumentis patet. Ast neque ulla aut a grammatico verborum valore, aut a contextu, aut a prophetae scopo petita conjectura fulciri, me facile demonstrare posse existimo non solum viro hebraicis in disciplinis exercitato; verum illi etiam, qui hebraica minime calleat, dummodo oculos ad

sacrum textum vel in ipsa Vulgata Latina conjicere, et ad contextum vel leviter attendere velit. Rem statim aggredior.

Quaestio tota de vocula *chen* כן est, quam aliquibus in locis perspicue designare *truncum* ex lexicographorum auctoritate, atque tribus, quas affert, sacri textus pericopis, Auctor contendit. Hujusmodi autem *trunci* sensu assumpto ad alia quaedam loca se confert, in quibus hocce *chen* כן pro particula perfamiliari affirmationis: *sic*, *utique*, vel pro adverbio: *recte*, ab omnibus, qui hebraica hactenus biblia interpretati sunt, communiter acceptum fuit: eidem vero *trunci* significationem tribuens, ac *trunci* nomine *crucem* intelligens, perpulchra, atque verissima effici vaticinia propugnat, quibus prophetae Crucem Christi praenunciaverint. Hacce porro argumentatione utitur pag. 2. et seqq.

Prophetae, sic primo ponit, de Cruce Christi nominatim vaticinari debuerunt. Si enim scriptum est: *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas* (Amos III. 7.): si de majoribus id rebus intelligendum est; *quidnam majus facturus erat Deus, quam in cruce mori?*

(p. 2.) Jam vero tria vocabula hebraica (*Prophetas nullum a peregrinis linguis verbum ad significandam crucem sumsisse certissimum est*) reperiuntur, quibus crucem designare potuerint: unum *hetz* עץ *lignum*, quo reapse crucis patibulum communiter hebraei indigitabant; alterum *ghezah* (auctor scribit *gaza*) גזע, quod in sacro textu ter reperitur, atque *unius tantum est significationis*, *eaque significatio TRUNCUS est* (p. 4.); tertium *chen* כן, cujus *multiplex est cum natura tum significatio*, *sed TRUNCUM etiam significat*, *ut postea videbimus* (p. 3.).

Alterum deinde principium assumit, hujusmodi de cruce vaticinia populum hebraicum latere debuisse. Cum autem tam *hetz*, quam *ghezah* notissimam *Crucis*, et *trunci* praeseferrent significationem; fieri non potuisset, quin populus *crucem*, ipsis auditis, intelligeret. Igitur *necesse fuit*, *ut alio illo nomine CHEN uterentur* . . . (cujus) *usus*, *quantum quidem ad trunci significationem*, *apud multitudinem desuevisset*, *multiplex . . . significatio varios edebat sensus*, *perceptuque maxime faciles*, *quorum aliquo contentus populus conquiesceret*, *de reliquis non curaret*. *Qui quidem*

sensus etiam in aliarum gentium interpretationes ex hebræo venerunt, optimique sunt. Nec enim unico prophetæ semper locuti sunt sensu; sacrorumque librorum sapientia et varia et multiplex est; quippe quorum auctor sit Deus, cujus sapientiæ non est numerus (p. 7.).

Cur autem haec Crucis vaticinia populum hebraicum latere debuerint, duas affert causas, alteram, ejus excaecationem, qua *quæ dicerentur non intelligeret, et quæ aspectui proponerentur, quorsum pertinerent, minime cognosceret, sic tamen ut et intelligere, et cognoscere, si vellet, posset* (p. 4.); alteram ejus in idololatriam propensionem. Nam ante babylonicam captivitatem (quam vaticinia, de quibus sermo est, aliquot saeculis praecedunt) hebraei *propemodum furentes erga Deorum religiones* fuerunt. Ergo prophetae *si Crucem LIGNUM aut TRUNCUM illis nòminibus* (*hetz* aut *ghezah*) *appellavissent, populus sibi persuadere perfacile posset, de insigni quodam, futuroque idolo esse loquutos, cui salus hominum, totaque illa vis, et copia bonorum, quæ a cruce in nos redundarunt, aliquando tribuenda esset. Idola enim ipse populus LIGNA vocabat..... Cavendum ergo summopere fuit,*

ne . . . . pro Messia dæmonem expectarent . . . . Quamobrem . . . . a duobus nominibus HETZ LIGNO, GAZA TRUNCO et abstinere omnino debuisse et abstinuisse (p. 5. 6.). Hujusmodi auctoris principia, hujusmodi ab ipsis petitae sunt consecutiones: quae profecto, antequam progrediamur, singillatim expendere opus est.

Primo itaque Auctori concedemus, D. N. Jesu Christi, Filii Dei, pro nobis, nostraque salute hominis facti, mortem violentam, ex iis maximis rebus esse, de quibus prophetae vaticinari debuerunt, atque reapse vaticinati sunt. Adjunctum autem *Crucis*, seu *ligni*, *ligni*, inquam, nominatim, cui tanquam patibulo affigeretur, eique affixus moreretur, unam ex maximis rebus fuisse, quam prophetae praedicere deberent, nulla Auctor ratione probat, adeoque tacite sibi sumit, ac supponit quod est in quaestione.

Sublato fundamento totum ruisse aedificium patet. Reliqua tamen adhuc inspiciamus qualia sint. Utique penes S. Scriptores vocem genericam *hetz*, *lignum*, etiam in sensu patibuli usuvenire reperimus. Ex gratia Gen. XL. 19. *Et suspendet te super* (HETZ) LIGNO.

Quae Auctor de voce *ghezah*, *truncum* solummodo significante, tradit, ipsi profecto, per incogitantiam, qua veram ejus significationem haud animadvertit, exciderunt. Ecce loca, in quibus ista vox occurrit, ubi ejus propriam vim discemus.

Job. XIV. 7. 8. 9. *Quia est in ligno spes, si succidatur, et adhuc innovabitur, et germen ejus non desinet. Si consenuerit in terra radix ejus, et in pulvere moriatur GHIZHO' (GHEZAH ejus) ex odore aquarum pullulabit, et faciet ramum, tamquam plantatum.*

Isa. XI. 1. *Et egredietur virgultum de GHEZAH Jesse et germen de radicibus ejus proveniet . . . .*

Isa. XL. 24. *Etiam non plantati sunt, etiam non sati sunt, etiam non radicans in terra GHIZHAM (GHEZAH eorum), et etiam insufflavit in eos, et exaruerunt, et procella, tamquam stipulam, tollet eos.*

Ubique ergo *ghezah* est in arboribus, quod manet *in terra*, quod *ad aquæ odorem pullulat*, et *ramum facit*, *tamquam plantatum*, *quod in terra radicat*, *ex quo virgultum prodit*. Ex vi ergo phraseos vel synonimum est radicis, vel (quod omnino mihi videtur) ea

est arboris pars, sub terra latens, in qua radicum origo est, atque simul conveniunt. Si hanc *truncum proprie succisum*, ut Auctor (p. 3.) ex Montaldio ponit, dicere velis, non repugno, dummodo id, *trunci succisi* nomine, intelligatur, quod, ablato arboris trunco super terram se extollente, sub terra, seu in terra remanet. Ex quibus perspicue innotescit, Auctorem aequivocatione vocis *trunci* deceptum fuisse, ut isto *ghezah* eum *truncum* unice significari cogitaret, a quo, tamquam patibulo, quispiam suspensus, mortem obeat violentam.

Quid modo dicemus de Judaeorum excaecatione, ob quam prophetae vocem *chen*, in usu populi in sententia crucis insuetam, prae *hetz*, et *Ghezah* usurpare debuerint, ne populus intelligeret? Fateor me vereri, ne aliquid Scripturis, et Patribus minus consentaneum hujusmodi doctrina praeseferat. Certe Joannes in Evangelio excaecationem, de qua Isaias vaticinatus est, non in rebus, quae vix aut ne vix quidem videri possint, cum Auctore collocat; sed contra, intuentium occupationem, seu aegritudinem causat, quae videre haud sinant ea, quae sunt maxime per-

spicua. Ecce ejus verba (Jo. XII. 37. seqq.) „ Cum autem TANTA SIGNA FECISSET „ CORAM EIS, non credebant in eum, ut „ sermo Isaiae prophetae impleretur, quem „ dixit: Domine quis credidit auditui nostro, „ et brachium domini cui revelatum est? „ Propterea non poterant credere, quia ite- „ rum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum, „ et induravit cor eorum, ut non videant „ oculis, et non intelligant corde, et con- „ vertantur, et sanem eos..„ Isti ergo Judaei tot, tantorumque signorum, utique luculentissimorum, spectaculo minime permoti, horrendum nobis hujus excaecationis exemplum praebent; itaut de ipsis Paulus dixerit (1. Cor. II. 8.) *Si cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent*. Ipse Isaias, tantae excaecationis vates, *Christi Domini incarnationem, nativitatem, praedicationem, mortem denique tam dilucide praenunciat, ut propheta evangelicus a S. Patribus merito appelletur*. (Duham. Praef. in Isa.) Alia in hanc rem non accumulo, quae quisque facile reperiet, ubi ad scripturas, patres, theologos, explanatores, animum adhibeat.

Ast prophetae de *cruce* oracula fundentes ad nomen, in quo insueta *ligni*, aut *trunci* significatio esset, confugere debuerunt, ne populus, qui idola *ligna*, et lapides vocabat, crucem pro insigni aliquo idolo futuro acciperet, Daemonemque pro Messia expectaret. Istae auctoris animadversiones tacite supponunt, prophetas de Cruce verba facere debuisse, non tamquam de trabe, patibulo morientis, quod profecto populus, quantumvis ad idololatriam pronus, pro *idolo*, *daemoneve* accipere nequivisset; sed tamquam de re, propria virtute, dotibusque miris ornata, quae propterea numinis cujusdam loco cogitari, colique valuisset: quas absurditates ne fictione quidem aliqua prophetis tribuemus. Ne autem ipsi in eas incidamus ullo modo, meminerimus, cruci nullum per se cultum deberi, omnemque ejus adorationem ferri in D. N. Jesum Christum, qui super cruce moriens nobis attulit vitam, eamque futuram immortalem, beatam, bonis omnibus refertam, quae bona a cruce nobis provenisse, nonnisi anthropopathia quadam affirmari potest.

Auctor denique ad id confugit, ut sua latentia crucis oracula etiam alios sensus, a

cruce omnino alienos, exhiberent, exhibeantque, qui pariter optimi sint: qua evasione gravissimam conatur invidiam declinare, ex eo conflatam, quod suis hisce vaticiniis Sacram Scripturam aliter, ac interpretes, auctoritatem in Ecclesia consecuti, patres, explanatoresque, ipse intelligat. Ponit igitur unius, ejusdemque vocis in eodem scripturae loco multiplicem esse quandoque posse sensum literalem. Thesim hanc uti vesanam a quibusdam Sacrae Hermeneuticae Magistris traduci video. Alios plures de eadem ne loqui quidem reperio. Ubique tamen unicum presse sensum literalem ab optimis explanatoribus, potissimum ubi agitur de fidei dogmatibus, aut morum regulis, aut historiae veritate, constituendis, poni video: atque caveri, ne, si plures literales sensus admittantur, omnia, sensus ipse translatus, et metaphoricus, qui pariter ad literam pertinet, ille, qui ad rem figuratam refertur, etiam reliqui, qui a literali petuntur, eique superaedificantur, allegoricus, tropologicus, etc. vertigine quadam nutent. Me ab hac thesi valde abhorrere non dissimulo. Sunt tamen qui ipsam tueri videantur, uti Card. Bellarminus, qui Controv.

Lib. III. Cap. III. ait: „ Nec est improbabile, „ interdum plures literales (sensus) in eadem sententia reperiri, ut B. Augustinus „ docet multis in locis. „ Nolo hic in veram Augustini mentem inquirere, neque investigare, quorsum ista jure quodam a quoquam sibi sumi valeant. Ast fateor me hinc Auctoris in suis de cruce vaticiniis promendis conatus minime damnare ausum fuisse, dum intra limites non dogmatum condendorum, aut confirmandorum, sed opinionum cogitandarum se contineret. Verum haec dimittamus. Jam quibus Auctor, et per *chen* significari etiam *truncum*, et ex *chen* in *truncum* verso in iis, quae affert, prophetarum verbis *crucis* vaticinia efficiat, videamus.

Primo igitur Auctor voculam *chen* ad *truncum* quoque significandum adhiberi vult: idque probare quorumdam lexicographorum auctoritate nititur, nec non tribus productis sacri textus locis. Et scriptores quidem sibi faventes nominat (p. 8.) Malvendam, Forsterum, Mercerum, Montaldum, Buxtorfium, Bougetum. Ab horum tamen numero celebrem Buxtorfium demere oportet, qui tam in suo Lexico, quam Concordantiis hebraicis, nihil

omnino, quod *truncum*, *stipitemve*, aut *caudicem* referat, voci *chen* apposuit. Malvenda vero aliorum potius asserta recitavisse videtur, dum ait verbis hisce, quae ab Auctore (p. 9.) allegantur: *Atqui significare etiam CAUDICEM, STIPITEM, TRUNCUM, Forsterus, et Mercerus adnotarunt*. Reliquis autem allatis lexicographis suum stare honorem per me licet. Dissimulare tamen non debeo et longe plures numero, et doctrinae, ac eruditionis fama longe probatiores eos esse hebraicos lexicographos (inter quos, praeter laudatum Buxtorfium, modo sub oculis habeo Sancten Pagninum, Edmundum Castellum in suo Lexico Heptaglotto, Marcum Marinum, Montfauconium in suo Lexico Hebraico ad Hexapla Origenis, Joannem Simonis, Vocabularium Hebraicum Polyglottorum Complutentium, Concordantias Biblicas Marii de Calasio, ipsius auctioris editionis Londinensis) celebriores, inquam, esse eos lexicographos, qui a *trunci* significatione voci *chen* assignanda abstinuerunt: qui profecto veteres omnes, etiam Judaeos, consentientes habent, cum ne unus quidem veterum ab Auctore afferri potuerit, qui sibi faveat.

Quid plura? Illi ipsi, quos pro se Auctor citat, si recte attendimus, eidem adversantur. Dum enim hocce *chen truncum* inter alia dicunt, eum simul *truncum* explicant, *quo, ut re firma, aliquid innititur*, ut apud Auctorem ipsum legimus p. 9.. *Sustentaculi* igitur cujusdam, seu *fulcri*, aut *baseos* ideam praebent. Non igitur Auctori suppeditant illum arboris *truncum*, a radicibus in aera assurgentem, crassum, elevatum, ramosque edentem, qui, dum amputantur, revera, juxta vim vocabuli, *truncum* ostendant: qui profecto truncus communi sermone venit, et quo, in crucem immutando, a qua Christus pependit, Auctor indiget. Hosce scriptores *truncum* in sententia non sua voci *chen* adposuisse quispiam forte mirabitur. Ast plures lexicographos magis de augendo vocabulorum, eadem, vel diversa significantium, numero, singulis vocibus adponendo, quam de ipsorum delectu, et proprietate, fuisse sollicitos constat. Unde peregrinis linguis probe addiscendis haec vocabulariorum imperfectio saepe nocet. Expertus quisque rem ita se habere novit.

Quidquid tamen sit, an isti lexicographi recentiores, nulla veterum auctoritate fulti,

recte voci *chen trunci* significationem assignaverint, non aliunde, quam ex locis Sacrae scripturae, in quibus adhibetur, eorumque adjunctis, investigari potest. Audiamus itaque Auctorem, qui tria loca pro *trunco* voci *chen* asserendo affert ex Daniel. XI. 7. Ps. LXXX. 16. Isai. XXXIII. 23.

A Daniele porro incipit, ubi loco citato hocce *chen* reperitur cum suffixo tertiae personae, prolatione כַּנּוֹ *channò* a Masoretis apposita, quod nos *chen*, seu *chan ejus* diceremus. In hocce autem Danielis loco (vers. 7.) afferendo miror, ex quatuor *channò*, quae illo in capite leguntur, primum tantum attulisse. Ast nos, veritatis assequendae solliciti, omnia simul juncta spectabimus. Juxta hodiernum itaque textum hebraicum sic legimus:

V. 7. *Et stabit ex germine radicum ejus CHANNO', et veniet ad exercitum . . . .*

V. 20. *Et stabit SUPER CHANNO' . . .*

V. 21. *Et stabit SUPER CHANNO' despectus, et non dabunt super eum gloriam regni . . . .*

V. 38. *Et Deo Mauzim SUPER CHANNO' gloriam dabit.*

Jam vero tribus postremis hisce locis ipsi *chan* invenitur praefixa praepositio *hal*, *supra*: In quibus venire *sedem*, *stationemve*, seu rem, super qua quispiam stat, phrasis ipsa loquitur. Phrasi porro simili vox *chan* adhibetur Gen. XL. 13. et XLI. 13. Et capite quidem XL. Joseph praenuncians pincernarum principi, futurum, ut eum Pharao post tres dies ad pristinum munus esset revocaturus, ait: *Post tres dies attollet Pharao caput tuum, et redire te faciet super* CHANNÉCHA (CHAN TUO), *et præbebis poculum Pharaonis in manu ejus, sicuti prius, cum ejus pincerna eras*. Capite autem sequenti ipse pincerna rem eandem, postquam evenerat, narrans, inquit: *Me redire fecit super* CHANNI' (CHAN MEO). Atque haec sola in toto S. hebraico textu reperiuntur, in quibus hocce CHEN, seu CHAN respectu ad statum hominis cujuspiam dicitur. Aliis tamen quibusdam in locis de rebus quoque inanimatis in sensu *baseos*, super qua nempe res collocata fuerit, aeque dicitur, atque cum suffixo tertiae personae *channò*, כנו *basis* ejus. (Vid. Exod. XXX. 18. 28. etc.) quae significatio a radice כון, *chun*, cujus est vis familiaris *firman*-

di, *constituendi*, *aptandi*, *dirigendi*, optime fluit: a qua etiam radice derivant significationem ipsius *chen*, cum frequenter usu venit in sensu particulae affirmativae *sic*, *utique*, et adverbii *recte*, vel dum est adjectivum *rectus*, *recti*, quod rarius.

Ad Danielem redeamus. Si porro totum Danielis contextum spectemus, sermonem esse videbimus de graecis regibus Alexandri Magni successoribus, potissimum Aegypti, et Syriae, quorum isti regum Septentrionis, illi regum Austri nomine significantur, de iisque Danielem vaticinari. Atque *chen*, seu *chan* erat, super quo propheta *staturum* praedicit quemque eorum, quos allatis in locis ait regnaturos esse, seu praecedentis regis thronum occupaturos.

Dum ergo tria posteriora loca simul cum priori conferimus, perspicuum nobis erit, etiam in primo idem *channò* accipi in eadem sententia debere. Nam cum eodem verbo (ויעמוד) *et stabit* jungitur, deque homine staturo pariter sermo est. Licet autem hic ante prius *channò* desit in hodierno textu hebraico praepositio (על) *hal*, *super*; eam tamen in suo exemplari legebat Syrus Interpres; ean-

demque referunt Vulgatae graecae editionis, quae in Daniele illa Theodotionis est, codices, quos Aldus, et Polyglotta Complutentia secuta sunt: codex item alexandrinus a Grabio editus, itemque codices, qui citantur in Scholiis vaticanae editionis, in quibus affirmatur: *In cæteris libris antecedit επι*: nec non a Flaminio Nobilio, qui ait: *In cæteris et apud Theodoretum est επι της στημασιας*, hanc graece redditam per *επι super* habent. Imò ipse Rabbinus Rascì (Comment. in hunc loc.) manifeste supponit, in textu hebraico praecedere על *hal*, *super*, sic declarans: *Filius sedens SUPER CHANNO' in throno regni* בן יושב על כנו בכסא המלוכה (Vid. in Mikr. Ghed.) Horum igitur etiam auctoritate convincitur, aeque ante prius *channò* olim in textu hebraico repertam fuisse praepositionem *hal*, *super*, quam et idem propositum, et phrasis omnino eadem requirunt. Haud ergo dubitabimus, etiam vers. 7. legendum esse: *Et stabit ex germine radicum ejus* (super) *channò*, *et veniet ad exercitum* . . . .

Quod si versionem 70. Intt. consulamus, eruditis redditam Romae ex vetusto Codice Chisiano an. 1772., eos optima sane senten-

tia in textu hebraico legisse deprehendemus: נצר משרשיו, *netzer miscarascau*, *germen ex radicibus ejus*, loco *ex germine radicum ejus*: unde magis magisque confirmatur, hocce CHANNO' non esse id quod e radicibus prodiret; verum in loci, sedis, thronive significatione venire (1).

Demus tamen Auctori v. 7. per *channò* intelligi debere rem ex germine radicum prodeuntem, potissimum ob auctoritatem Vulgatae, quae habet: *Et stabit de germine radicum ejus PLANTATIO* (2). Ista tamen *plan-*

---

(1) *Ecce verba 70. Intt.* και αναστησεται φυτον εκ της ριζης αυτου καθ' εαυτον. Et surget germen de radice ejus pro ipso. *Ubi etiam id* καθ' εαυτον pro ipso *optime ex* על כנו hal channò *cogitari potest*.

(2) *Consentit Saadias*, *Sæc. X. Rabbinus*, Gahon, *nempe* excellens, *appellatus*, *qui* (*in hunc loc. Vid.* Mikrà Ghedolàh) *superfluere postremum vau* ו *hujus channò contendit*, *ut sit* chan, *quod aeque ac* channàh כנה *ps. LXXX. ver.* 16. (*de quo mox disseremus*) *veniat in sententia* חטר choter *seu* virgultì. *At rursus* virgulti *idea ab illa trunci abest*.

tatio per *truncum* perperam redderetur : atque Auctoris interpretatio (p. 13.) *At stabit e germine radicum illius TRUNCUS illius , venietque ad exercitum . . .* non absurda esse non potest , uti ex actione patescit , quae hic exprimitur , *veniendi ad exercitum . . .* Nunquam enim Auctor invenire exemplum poterit *trunci* inertis , cui humanarum actionum editio , licet per metaphoram , tribuatur .

Eadem absurditate Auctoris interpretatio laborat vers. 16. psal. LXXX. quem sic reddit : *Vise vitem istam , et truncum , quem plantavit dextera tua* (pag. 17.) ubi pro *trunco* Hebraeus habet כַּנָּה *channàh* . Auctor igitur *trunco* tribuit , ut sit id , quod plantatur . Atqui id , quod plantatur , est *propago* , *surculus* , *tener ramus* etc. ex quo terrae commendato , radices deorsum , gemmas sursum emittente , nova deinde vitis exurgat . Nunquam vero plantari de *trunco* dicetur .

Hac igitur absona Auctoris interpretatione dimissa vel cum 70. Intt. graecis , et Vulgata latina accipiemus hocce *channàh* pro verbo cum suffixo , et interpretabimur : *Visita vineam istam et PERFICE EAM , quam plantavit dextera tua* : quam acceptionem liberri-

mo critico Houbigantio, docto Calmetio, aliisque video probari: vel hocce *channah* pro nomine generico *plantae* (sive ab Aegypto (1), sive aliunde haec significatio petatur) habebimus, et optima pariter sententia erit, parallelismo hebraicae poesi perfamiliari: *Visita vineam istam, et CHANNAH (PLANTAM) quam plantavit dextera tua.*

An Auctor in versu 23. XXXIII. Isaiae felicior erit? Eum sic reddit (pag. 23.) *Dimittentur funes tui, non roborabant (CHEN) TRUNCUM mali eorum, non expandent velum.* Quamquam autem mirifice sibi plaudat hisce verbis: ,, Tertius locus, e quo con- ,, stare debet, nomini *chen*, *trunci* conveni- ,, re, illiusque propriam esse significationem, ,, erit Isaiae, isque luculentissimus ,,; nullam tamen hic introducendi *trunci* video aut necessitatem aut opportunitatem. Nam si, retenta reliqua Auctoris interpretatione, hocce *chen* reddamus aut *recte* cum versione interlineari, aut *sic* cum Vulgata (quae sunt duae

---

(1) Χενοσυρις chenosyris *Ægyptiis erat* planta Osyridis, *seu hedera*, *juxta Plut. Vid. cl. Rossi Etym. Aegypt. p.* 244.

familiares hujus voculae, tali pronunciatione affectae, significationes) sententia efficietur bona phrasi fluens: ,, Dimittentur funes tui, non ,, roborabunt RECTE (aut SIC) malum eo- ,, rum non expandent velum ,,. Cogitemus enim sive navim, sive tabernaculum, in quibus mali obfirmantur funibus, et vela malis adfixa tenduntur obfirmatione malorum. Igitur remisso fune, primo contingit, ut malus (*sic* vel *recte*) non obfirmetur, deinde ut velum non expandatur. Caeterum etiam TRUNCUS MALI quamdam gerit absurditatem, perinde ac si quis vernacule diceret *Il tronco della pertica*, *il tronco del trave*, *il tronco del palo*, *il tronco dell' albero della nave*. Non enim malus plures partes habet, quarum una sit truncus. Et hic igitur pro *chen* absone *truncum* interpretatus est. Tria, unum *Channò*, alterum *Channàh*, tertium *chen* ab Auctore allata expendimus. Nulla *pro trunco*, nisi absone, reddi posse vidimus. Neminem pariter lexicographorum vocem *chen* in veri *trunci* significatione accepisse animadvertimus, neminem veterum sic interpretatum fuisse. Auctor igitur nullo aut exempli aut auctoritatis subsidio voce *chen*, *truncum* aliquando

significari posse posuit. Jam ad Vaticinia ipsa me confero.

Haec numero decem proponit, asserit, declarat. Cum autem ubique vocem *chen* à communi significatione *sic*, *utique*, et cum praepositionibus *hal*, lamed, *halchen*, *lachen*, *super sic*, *ad sic*, nempe *propterea*, *ideo*, ad *truncum* transferat; communi vero retenta significatione et phrasis probe se habeat, et sententia recte procedat, et contextus servetur: at contra a trunci insertione phrasis turbetur, contextus abrumpatur, aut saltem nihil adponatur ad sententiam loci propriam; hac vel sola animadversione omnia simul Auctoris Vaticinia evanescunt. Haec porro quisque per se experiri valet, communes significationes trunco depulsas sacro textui restituens, et sententiam, atque contextum vel in ipsa Vulgata latina spectans. Aliqua tamen singillatim de hisce vaticiniis attingamus.

I.

Primum petit a Psalm. LXII. seu, juxta Hebraeos LXIII. Recolamus Psalmum. „ 1. Deus

,, Deus meus ad te de luce vigilo. 2. Siti-
,, vit in te anima mea, quam multipliciter
,, tibi caro mea. 3. In terra deserta, et in-
,, via, et inaquosa (*chen*) SIC in Sancto ap-
,, parui tibi, ut viderem virtutem tuam, et
,, gloriam tuam. 4. Quoniam melior est mi-
,, sericordia tua super vitas, labia mea lau-
,, dabunt te. 5. (*chen*) SIC benedicam te in
,, vita mea ,, ...

Notum est, hoc psalmo, uti titulus habet, Davidem Deo preces matutinas porrigere, cum in deserto Idumaeae, vel, ut alii censent, Judaeae commoraretur. Versu autem 3. id CHEN redditum SIC optimam praebet sententiam, atque significat, prophetam in deserto se Divino conspectui sistere, PERINDE AC SI esset in Sanctuario, seu loco divino cultui sacrò. *In terra deserta* . . . TAMQUAM *in loco Sancto conspexi te* (ut est in hodierno textu hebraico, vel *apparui tibi*, ut reddit Vulgata) *ad contuendam virtutem tuam, et gloriam tuam*. Item in versiculo 5. illud SIC optime intelligere dat propositum Deo benedicendi tota vitae periodo: atque hoc pacto totus contextus probe con-

nexus est, idemque pie precantis affectus ab initio ad finem elucet.

Ecce tamen Auctorem, qui pro duobus hisce *chen truncum* inducit; TRUNCE, ait pag. 60., *in Sanctitate te vidi . . . TRUNCE benedicam tibi in vita mea . . .* Unde vota prophetae erga Deum in vota erga crucem transfert, atque etiam illud: *profecto melior est misericordia tua quam vitae.* Quae pia quadam anthropopathia dici possunt, per inde ac si crux ipsa nostri redemptoris partes agens nostri misereretur. Si ergo Auctor hosce prophetae sensus, quibus adorat, atque precatur Deum, assumere, et ad crucem se transferre declararet, sensu mutuato, ferri utique posset. Ast a propheta nomine *chen truncum*, seu *crucem* vere, et proprie in hocce psalmo spectatam fuisse, id vero est, quod nemo, ad vim verborum, et contextum attendens, ferat. Tale primum vaticinium est.

II.

Alterum succedit ex Isa. Cap. LIII. 12. ubi Auctor sic (pag. 72.) interpretatur: ,, PRO TRUNCO (*lachen*) partem illi dabo

„ in multis, et cum fortibus partietur praedam, propterea quod effuderit in mortem „ animam suam „ . . .

Hic ergo vocem *lachen*, communiter *ad sic*, seu *ideo* significantem, Auctor PRO TRUNCO reddidit. Si porro contextum consulimus, duo contineri animadvertemus: alterum mala ab innocentissimo Messia pro populo toleranda: alterum patientiae ipsius mercedem. Cum autem in praecedentibus propheta de malis a Messia tolerandis vaticinatus fuerit; incipit vers. 12. promerita praemia enumerare: *Partem illi dabo in multis*... Ergo vox *lachen*, quae utrumque connectit, consecutionis nexus erit, *ideo*, *propterea* etc., si merces cum merito mercedis, consequens cum antecedente, effectus cum causa connecti debent. Recolat totum illud Isaiae caput, qui hactenus animadversis magis magisque affici velit.

III.

Tertium Auctor Vaticinium a Cap. I. Prophetae Habacuc sumit, ubi quinquies nominari crucem contendit: atque reapse ex quinque *halchen* quinquies *truncum*, et *crucem* ef-

fecit: versu quidem 4. ubi bis occurrit, vertens *propter truncum*, et *contra truncum*: vers. 15. *contra truncum*, et vers. 17. *propter truncum*, uti pagg. 99. 100. videre est. Eandem itaque praepositionem *hal*, *super*, eidem voculae *chen* praefixam, in eodemque ejusdem prophetae capite usurpatam, in duabus significationibus *propter*, et *contra* accepit. At enim qui querimonias, et invectivas capitis primi hujus prophetae excurrit, istud *halchen* nonnisi unam communem sibi propriam sententiam *super sic*, nempe *ideo*, *propterea* etc. admittere posse deprehendet, atque mirabitur, quomodo in Auctoris mentem venire potuerit, ut *propter truncum*, et *contra truncum* in ejus locum intruderet. Ipsum *halchen* in connexione antecedentium, et consequentium inspicere sufficit. Hanc ex Vulgata hic subjicio. V. 3.

,, Factum est judicium, et contradictio potentior. 4. (HALCHEN) PROPTER HOC
,, lacerata est lex .... Quia impius praevalet
,, adversus justum (HALCHEN) PROPTEREA egreditur judicium perversum ....
,, 15. Totum in hamo sublevavit, traxit illud
,, in sagena sua, et congregavit in rete suum
,, (HALCHEN) SUPER HOC laetabitur, et

,, exultabit. 16. (HALCHEN) PROPTEREA ,, immolabit sagenae suae, et sacrificabit reti ,, suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus, ,, et cibus ejus electus. 17. (HALCHEN) ,, PROPTER HOC ergo expandit sagenam ,, suam, et semper interficere gentes non ,, parcet ,,. Hactenus Vulgatus, ubi sensus hujus *halchen* ex semetipso apparet, atque quaslibet acceptiones a consequentiae conjunctione diversas omnino excludit, ne te pluribus ex hebraico textu detineam.

IV.

Pro quarto Vaticinio Auctor ad vers. 7. Cap. L. Isaiae confugit, ubi ex *halchen* bis occurrente bis crucem effecit pag. 118. hoc pacto: ,, Ac, Adonai Dominus mihi auxilio erit. ,, (HALCHEN) CONTRA TRUNCUM non ,, erubui, (HALCHEN) CONTRA TRUNCUM posui faciem meam tamquam silicem ,,. Jam vero si depulso isto CONTRA TRUNCUM ipsi HALCHEN propriam reddimus significationem, optima elucescet sententia vere, et unice Propheta digna; ut nempe ex divino adjutorio fiducia, et impa-

vidus animus consequantur. Afferam Vulgatam: ,, Dominus Deus auxiliator meus, (HAL-
,, CHEN) IDEO non sum confusus, (HAL-
,, CHEN) IDEO posui faciem meam, ut pe-
,, tram durissimam, et scio quoniam non
,, confundar ,,.

V.

Ex hoc autem ipso HALCHEN quintum Auctor cogitat Vaticinium in vers. 2. Cap. I. Cantic. Canticorum. Hinc porro capta occasione, totum librum interpretatur, atque declarat. Hujusmodi vero Vaticinium ita se habet (pag. 173.) ,, Unguento perfusus es nominis
,, tui! JUXTA TRUNCUM Virgines te a-
,, mant ,,. Quam extra rem *truncus* huc immittatur, contextus admonet. Cum enim tamquam causa amoris praecesserit (ad verbum reddo hebraeum textum): *Ad odorem unguenta tua bona*, *oleum effusum nomen tuum*; jam ipsum *halchen* nonnisi particula consequentiae esse potest. Ex ejus ergo consueta significatione habebimus: ,, HALCHEN, IDEO ado-
,, lescentulae diligunt te. ,,

VI.

Sextum Auctor Vaticinium in Ps. XLV. quaesivit, in quo (pag. 291. seq.) *halchen* versuum 4. et 8. fecit *super trunco*; versus vero 18. *juxta truncum*. Si tamen contextum consulamus, et ablegari *truncum*, et omnino requiri consuetam ipsius *halchen* significationem dubitare non poterimus. Afferam Vulgatum. ,, 3. ,, Speciosus forma prae filiis hominum, dif- ,, fusa est gratia in labiis tuis: (HALCHEN) ,, PROPTEREA benedixit te Deus in aeter- ,, num .... 8. Dilexisti justitiam, et odisti ,, iniquitatem (HALCHEN) PROPTEREA un- ,, xit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae ,, consortibus tuis .... 11. Audi, filia, et ,, vide .... 17. Pro Patribus tuis nati sunt ,, tibi filii, constitues eos principes super om- ,, nem terram. 18. Memores erunt nominis ,, tui in omni generatione, et generationem ,, (HALCHEN) PROPTEREA populi confi- ,, tebuntur tibi in aeternum, et in saeculum ,, saeculi ,,. Hactenus verba Psalmi. Praecedere ea, quorum tamquam consequentia subjungantur quae veniunt post HALCHEN tribus hisce in locis, nemo non videt. Non ita-

que aliud, quam *propterea* etc. significare potest, et *super truncum*, *contra truncum* absone introducuntur.

VII.

Pro septimo Vaticinio rursus ad Isaiam Auctor se confert, ac in ejus Capite LII. (pag. 326.) *crucem* quater reperit nominatam: nempe vers. 6. vocem *lachen* bis vertit *per truncum*. Versibus autem 14. et 15. simplex *chen truncum* effecit. Priori porro loco omnes veteres voci *lachen* tribuunt consuetum sensum *ad sic*, *propterea*. Altero vero loco Vulgatus latinus, 70. intt., Syrus, et Arabs, vocem *lachen* in suo codice non legerunt, atque reapse in hodierno hebraico textu redundare videtur. Quod si retineri velimus, repetitio erit praecedentis. Utrumque autem contextus omnino requirit, ut *ad sic*, seu *propterea* etc. de more significet. Audiamus Vulgatum: „(LACHEN) PROPTER HOC sciet populus „meus nomen meum (LACHEN) in die illa, „quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum„. Praecessit autem Vaticinium de populi liberatione, quod, ut patet, mediante isto: *lachen*,

ad sic, *ideo* cum sequentibus hic exscriptis connectitur. Quoad vers. 14. et 15., cum ante *chen* praecesserit *caascer*, *quemadmodum*, eidem optime respondet sequens *chen*, *sic*, *ita*: itaut nonnisi contra contextum *truncus* immittatur. Quid autem dicemus de actione *aspergendi gentes multas*, quam hic *trunco* suo tribuit? En ejus verba (pag. 327.) (*caascer*): „ *Postquam* vastati fuerint propter te multi; „ (*chen*) *truncus* exitio fuerit per quemlibet „ aspectu suo, formaque sua per filios homi„ num; (*chen*) *TRUNCUS asperget gentes* „ *multas*, contra ipsum reges occludent os „ suum „; quod declarans (pag. 345.) ad tempora Antichristi refert, atque ait: „ *Truncus* „ cum ipso veniente Deo, Dominoque Jesu „ conspiciendus *asperget gentes multas*, quot„ quot scilicet antea non credebant. Epocha „ enim est conversionis omnium gentium. „ Has *Truncus* asperget Sanguine Domini No„ stri „. Haec quidem pie cogitantur: absurditatem tamen tegere nequeunt, qua *truncus*, *truncus*, inquam, iners *aspersurus* gentes multas inducitur.

Caeterum recole contextum sive in nostra Vulgata latina, sive in hebraico origina-

li, sive in alia qualibet veterum versionum. Licet quaedam existat obscuritas, aliqua etiam varietas lectionis reperiatur; huic tamen *chen* non aliam, quam consuetam *sic*, *ita* sententiam tribui posse non dubitabis, quidquid sit de lectionis varietate, variisque interpretationibus.

Nos sic optime hebraicum textum verti posse censemus in hocce initio celeberrimae prophetiae de Christo, pro nostra salute, opprobriis, et doloribus onerato, et ad occisionem ducto, quam sacer vates hinc, atque per totum caput LIII. exequitur. Verbum verbo presse reddimus.

„ 13. Ecce proficiet servus meus, ele-
„ vabitur et extolletur, et exaltabitur valde.
„ 14. (*chaascer*) *Quemadmodum* obstupuerunt
„ super *eum* multi; (*chen*) *Ita* perdita a vi-
„ ro facies ejus, et forma ejus a filiis homi-
„ nis; 15. (*chen*) *Ita* mirabuntur gentes
„ multae: super eum continebunt reges os
„ eorum: quia qui non narratum erat eis,
„ viderunt, et qui non audierant, intellexe-
„ runt. Cap. LIII. 1. Quis credidit auditui
„ nostro, et brachium Domini cui revelatum
„ est? „ . . . .

Vers. 13. *Proficiet*. To ישכיל *Jaschil* exhibuimus cum Chaldaeo in sensu *proficiendi*, *prosperandi*, *progrediendi*: cujus acceptionis plura reperiuntur exempla. (conf. Sam. I. XVIII. 5. 14. 30. Reg. I. II. 3. Jerem. XXIII. 5 etc.) Quod mihi magis aptum videtur, quam si vertatur: *Intelliget*, *sapiet*. Hic significatur quod habetur Luc. II. 52. *Et Jesus proficiebat sapientia*, *et aetate*, *et gratia apud Deum*, *et homines*.

Vers. 14. *Super eum*. Loco עליך *halécha*, *super te* hodierni textus vulgati hebraici ex fide duorum codicum mss. *Kennic.*, et Syri interpretis legimus עליו *halau*, *super eum*: quae mutatio ו in ך facillima est, amanuensium sphalmate, ac multa habet exempla.

Vers. 15. *Mirabuntur*. Ita cum 70. intt., qui habent θαυμάσονται. Hodiernus hebraeus habet יזה, *asperget*, cum Vulg. Syrus *expiabit*. Sententiam hujus membri amplectimur parallelam sequenti membro periodi, ut hebraeis assolet: *Mirabuntur gentes* .... *continebunt reges os eorum super eum*. *QUI non narratum est* ...: *QUI non audierunt*.. Hebr. אשר reddi potest *qui*, et aeque *quod* cum Syro, cum sit *ascer* relativum indeclinabile cujusvis generis. Qui-

bus quidem, aliisque sequentibus orditur Isaias prophetiam passionis, et mortis D. N. Jesu Christi, quem prius sanctitate, operibus divinis, atque portentis suam hominibus divinam missionem, atque divinitatem manifestavisse significat, ut passio ejus atque mors longe hinc sint mirabiliores. Sed haec satis sit innuisse.

VIII.

Octavum Vaticinium Auctor se in psalm. XLVIII. reperiisse existimat, in quo *crux* ter fuerit nominata. Nam versibus 6. 9. 11. occurrit *chen*, quod *truncum* vult esse. Si tamen voci *chen* suam consuetam significationem *sic*, *utique*, relinquamus, contextus profecto et sibi constat, et optimam reddit sententiam. Scilicet primo loco: *ipsi viderunt* (*CHEN*) *SIC admirati sunt*, tanquam visione existente causa admirationis, recte habet. Altero loco: *Sicut audivimus* (*CHEN*) *SIC vidimus*, rursus apta constructio est. Denique tertio loco: *Secundum nomen tuum Deus* (*CHEN*) *SIC laus tua*, pariter apta sententia est, atque omnia probe sibi respondent:

quae *trunco* Auctoris, quantumvis ingeniose exornato, perturbantur.

IX.

Vaticinium nonum in psalmo CXXVII. Auctori est, ubi crux versu 2. semel occurrat. Cum hic psalmus in nostra Vulgata ab hodierno hebraico textu aliquantulum discrepet, integrum ipsum tibi ad literam hic ab hebraeo exponam: quod ob brevitatem minime molestum futurum spero. Jam vero toto psalmo duo apophthegmata continentur: alterum, omnia frustra sine Deo: alterum, cum Deo omnia, et imprimis adhibiti labores, prospera. Prior psalmi pars prius; altera alterum persequitur.

„ Si Dominus non aedificat domum, frustra ejus aedificatores laborant in illa. Si Dominus non custodit civitatem, frustra vigilat custos. 2. Frustra est vobis diluculo surgentibus, retardantibus sedere, manducantibus panem doloris. (*chen*) (SIC) UTIQUE dabit dilecto suo somnum. 3. Ecce haereditas Domini filii, merces fructus ventris. 4. Sicut sagittae in manu po-

,, tentis ; (CHEN) SIC filii adolescentes,
,, 5. Beatus vir, qui plenam ipsis pharetram
,, suam habet, non erubescentibus ubi allo-
,, cuti fuerint inimicos in porta. ,,

Hactenus psalmus, in quo prius CHEN (nam secundum Auctor minime dimovet) optime communem suam UTIQUE, SIC exhibet significationem. Jam quantum Auctor peregrinis sensibus delectetur, animadverte. Sic enim vertit versum secundum ,, Frustraneum ,, esset vobis matutinos surgere, postquam ,, sederunt voratores panis, idola! TRUNCUS ,, dedisset dilecto illius somnum.,, (P. 372.)

Cum Vulgatae lectio hocce כן *chen* minime referat vers. 2., ea hic uti minime valuimus.

X.

Postremum Vaticinium Auctor petit a ps. CXIX. versiculis decem, nempe a vers. 121. ad 130. Cum autem *halchen* occurrat in versibus 127. 128. 129., in priori communem reliquit significationem; in altero vertit: *ad truncum*, in tertio: *de trunco*. Quantum tamen necesse sit etiam secundo et tertio loco

ipsi *halchen* suam *super sic*, *ideo* etc. tribuere significationem, etiam ex Auctoris interpretatione discere possumus, quam hic versuum 127. 128. 129. 130. excribo ex pag. 399. Sic autem habet 127. „ Tempus est operan-
„ di pro Domino! Legem tuam irritam fe-
„ cerunt 128. (HALCHEN) IDCIRCO dili-
„ go praecepta tua prae auro, et prae obri-
„ zo. 129. (HALCHEN, PROPTEREA,
„ Auctor) AD TRUNCUM omnia (1) prae-

---

(1) Praecepta cujusque. *Vulg.* mandata tua. *Vulgato omnes* (*excepto Chaldæo*) *veteres interpretes consentiunt*, *atque ipse Hieronymus*, *qui propterea in hebraico suo codice legebant* פקודיך pikudécha, mandata tua, *pro hodierno* פקודי כל pikudé chol, mandata cujusque (*rei*) *ubi in fine addita legitur litera* ל, *quam* 70. *intt. legisse videntur praepositam præcedenti* chol כל, *ut ipsis esset* לכל lechol, ad omnia. *Nam verterunt*, *ut habet Vulgatus latinus* : Propterea ad OMNIA MANDATA TUA dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. *Veterum lectionem suadent contextus*, *phrasis hebraica*, *loca parallela*, *quæ in hoc ipso psal-*

„ cepta cujusque dirigo, quamcumque viam „ mendacem odi. 130. Mirabilia sunt testi- „ modia tua (HALCHEN, IDEO, Auctor) „ DE TRUNCO! Ea servavit anima mea. „ Hactenus Auctoris interpretatio. Nihil vero addo, cum res per semetipsam loquatur.

Hujusmodi decem vaticinia sunt, quae Auctor de Cruce sine duce aliquo cogitavit, atque declaravit. Unum adhuc reliquum est, quod tantummodo proposuit, quo frontem, et calcem libri ornaret, petitum ex Psalmo Hebraeis nonagesimo versu 12. כן הודע ונבא לבב חכמה *chen hodah venabih lebab chochmà*: quod ita reddit: (CHEN) *TRUNCUM notum fac, ut afferamus cor sapiens*. Jam vero totum psalmum a se alias declaratum iri dat sperare (pag. XXIV.) Hanc ergo expectabimus declarationem. Interim tamen animadvertimus, sem-

---

mo plura sunt; atque omnino requirunt, ut halchen *sit* propterea. *Etiam hodierni textus hebraici lectio in* halchen *eandem importat significationem; unde dicere debeamus*: HALCHEN IDEO omnia praecepta cujusque rei recta habeo.

tentiam hujus loci ab Auctore dissectam fuisse, ut altera ejus parte sensum suo *chen* in *truncum* vertendo faventem exhibere valeret. Ecce contextum Vulgatae. „ Quis novit potesta-„ tem irae tuae, et prae timore tuo iram „ tuam dinumerare? Dexteram tuam (CHEN) „ SIC notam fac, et eruditos corde in sa-„ pientia. Convertere „ . . . Contextus autem hebraicus ita se habet: „ Quis novit pote-„ statem irae tuae, et sicut timor tuus, ira „ tua? Ad numerare dies nostros (CHEN) „ SIC (RECTE) fac scire, et adducemus cor „ sapientiae. Convertere „ . . . . Quamquam in hoc Psalmo (Calmet verbis utor in arg.) *Stylus maxime obscurus est, et sublimis, et versio 70. et Vulgatae longe abest a textu hebraico, qui hodie extat*; neminem tamen esse existimo, qui non videat, ab Auctore hujus loci sententiam abrumpi, ut deprecationem pro sui *trunci* manifestatione efformaret; quod satis sit animadvertisse, ut hic TRUNCUM Auctoris contra contextum introduci pateat.

Omnes Auctoris probationes pro asserenda voci *chen trunci* significatione excurrimus: omnia loca inspeximus, in quibus ex *chen* in *truncum* verso, et ex *trunco* in *crucem* eva-

dente totidem de Cruce vaticinia confecit. Nullibi autem probabilitas ulla ejus assertis favens se obtulit. Quae ita perspicua, et facile patentia mihi videntur; ut quivis vel leviter excultus haud aegre percipere possit, dummodo animum aliquantisper adhibere velit. Hisce autem pro veritate animadversis, nihil aut probitati aut ingenio aut doctrinae aut eloquentiae, religiosaeque, ut ita dicam, animae, per totum opus se effundenti, egregii viri, qui haec esse Vaticinia a se detecta sibi blanditus est, detractum volo.

Si modo a me quaeras, quomodo vir tantus, licet nulla veterum interpretum, et doctorum, aut harum rerum peritorum auctoritate, nulla probabili rationis conjectura, nullo locorum parallelorum aut contextus subsidio vere fultus, haec tamen Vaticinia, hactenus incognita, se detexisse sibi visus fuerit; respondebo, nos hic exemplum habere illius proclivitatis, qua cogitationi alicui speciosae, per inconsiderantiam, boni etiam cujuspiam desiderii praeoccupatione, susceptae, alia et alia superaedificamus, quae vera, pulchra, probata, solida, nobis per illusionem videantur, quin inanes esse species, tanquam

somniorum, quodam detenti somno, detegamus. Ecce igitur Auctorem fidenter prae se ferentem quod (pag. XXIII.) *interpretando tria maxime secutus fuerit, fidem, unitatem rerum, perspicuitatem*; atque fidem suam hisce, inter alia, praedicantem (pag. XXIV.) : ,, In ,, significationibus autem verborum persequen- ,, dis adeo diligentes fuimus, ut, quando- ,, cumque propter unitatem rerum, et sen- ,, tentiarum, discedendum fuit ab illis signi- ,, ficationibus, quas alii interpretes adhibue- ,, runt, id nunquam a nobis factum sit, nisi ,, citata concordi doctorum virorum auctori- ,, tate, illas ipsas verbis tribuentium signi- ,, ficationes, quas delegimus. ,, Haec Auctor, qui profecto ita loquens non cogitabat, se rem omnino falsam tanquam veram sibi sumere. Nam plerique optimi lexicographi voci *chen trunci* significationem haud assignarunt: illi autem, qui assignaverunt, Auctore ipso referente (pag. 9.), *basis*, aut *sustentaculi* cujusdam *trunco* vim tribuerunt, adeoque ne unum quidem afferre potuit, qui pro veri *trunci*, ut *truncus* est, significatione voci *chen* attribuenda staret. Neque afferre vel unum sacri textus locum valuit, in quo vox *chen*

vere pro *trunco* accipi debeat, aut possit. Tria autem loca, quae attulit, ab admittenda *trunci* significatione omnino abhorrere perspicuum est.

Jam vero suum unitatis studium pluribus declarat, ex quibus haec tibi subjicio (pag. XXVI.): ,, Itaque in omni interpreta- ,, tione nihil mihi antiquius est, quam ut vi- ,, deam, num ex omnibus verborum propriis ,, significationibus is delectus haberi possit, ,, e quo argumenti unitas sponte sua extet, ,, ac veluti efflorescat. Id mihi tum alibi tum ,, in his de cruce vaticiniis videor esse con- ,, secutus. Aliorum tamen malo esse judi- ,, cium, quam meum ,,. Ita Auctor. Reapse tamen vidimus ne unum quidem esse locum ab Auctore pro suis Vaticiniis in medium adductum, in quo *truncum*, seu *crucem* inferens, argumenti unitatem, et contextus nexum non turbaverit.

Simul porro cum unitate, sententiae quoque perspicuitatem abiisse necesse fuit, quam Auctor ita explicat (pag. XXIX.) ,, ut di- ,, catur quidem illud solum, quod scriptor ,, dicit, quem interpretamur: dicatur autem ,, ita, ut, quod in mentem venire debuit

,, hominibus, qui lingua loquebantur, qua ,, ille scripsit, idem nostris interpretationem ,, legentibus, eodemque modo, venire in men- ,, tem debeat ,,. Quid hic dicere de Auctore debebimus, qui de tali perspicuitate in suis *trunci* Oraculis, quae cogitavit, reddendis, sibi curae fuisse, adhibita etiam latini sermonis proprietate, nobis narrat?

Jam vero si haec animo versans, magis magisque mireris, Auctorem sibi persuasisse, hujusmodi Vaticinia apte ad contextum, et ad unitatem sententiae, atque perspicue, a se fuisse proposita, nec non declarata; ne simul advertere omittas, ipsum, licet probationes specie tenus afferat; reipsa tamen ex quadam veluti inspiratione, magis quam ullis argumentis et cogitationem vaticiniorum, et eorum propositionem, atque declarationem prae se ferre: id quod per totum librum se prodit. En aliqua ejus verba pag. 398. ,, Ita ,, immensa Domini mei Jesu benignitate, et ,, gratia in lucem prodeunt haec hactenus ,, incognita, omni prorsus admiratione dignis- ,, sima, illius testimonia de cruce, quorum ,, fidem, dum ex hebraeo in latinum con- ,, verti, servare accuratissime studui. Reli-

„ quum est, ut, ipsum, qui hos sermones
„ aperire dignatus est, enixe precer, ut Au-
„ gustae Crucis suae lucem in omnes effun-
„ dat, imperitisque, ac rudibus intelligen-
„ tiam tribuat. Et quum minime defuturi
„ sint qui haec calumnientur, quique nihil
„ esse boni, rective existiment, quod ipsi
„ in medium non attulerint; id quoque pre-
„ cer oportet, ut illis ne me permittat, his
„ de bonitate, ac rectitudine rerum, quas
„ afferimus, spondere ipse dignetur. „

Longius autem progressus, Vaticinia ista, tanquam arma ad judaeos, incredulosque debellandos, praevalida exhibet, uti in epistola quoque nuncupatoria, toti nunc operi praefixa, videre est, ubi „ Vaticinia, inquit, delegi
„ decem, atque ex illis augustam filii Dei
„ Jesu Christi crucem nomine *trunci* suo quin-
„ quies, et vicies; sed, quod hactenus la-
„ tuit, appellatam, tanquam novum, e vetu-
„ stissimo cellario, sumptum vexillum, at-
„ tuli ad praelium „ (pag. V.). Et ejusdem Epistolae initio (pag. III.) „ Non erit
„ fortasse mirandum, Beatissime Pater, si
„ quo tempore latissime patet inimicissima
„ christiani nominis incredulorum factio, eo

,, non pauca de sacris proferantur literis, ,, quae antea latuerint, atque ad illos refellendos, planeque debellandos, summam habeant vim, summumque momentum ,,. Et in Praefatione (pag. XXII.) ,, Habebuntque ,, ab hoc libro, ut spero, judaei quinque et ,, viginti praeclara, et distincta prophetarum ,, de Jesu Christi cruce nominatim testimonia; quae ad convincendos item novo armorum genere judaeorum socios, et foederatos incredulos plurimum proderunt. ,,

Haec Auctor, aliaque hujusmodi, quae profecto dimittemus, et veris, vereque validis propugnandae christianae religionis contra judaeos, et incredulos, armis contenti erimus, quibus hactenus christiani doctores vicerunt, vincentque usque ad consummationem saeculi. Utique inter ista nos Prophetarum vaticinia suspicimus; sed quae talia esse Ecclesia, legitima Sac. Scripturarum interpres, patrumque traditionis servatrix nos doceat, in suaeque doctrinae monumentis servata, veluti digito, nobis demonstret.

Si rursus quaeras, an aliqua de Cruce Vaticinia in veteri Testamento edita fuisse exi-

stimem, respondeo, quoddam Crucis veluti Vaticinium (num. XXI. 9.) id extitisse, quo aeneum serpentem in deserto Moyses elevavit, dicente ipso D. N. Jesu Christo (Jo. III. 14.): ,, Sicut Moyses exaltavit serpentem in deser- ,, to; ita exaltari oportet filium hominis ,,. Item in maledictione (Deut. XXI. 23.) cujusvis pendentis in ligno vaticinium quodammodo continebatur ejus, qui (Gal. III. 13.) *factus est pro nobis maledictum, ut nos a maledicto sanaret*. Plura insuper Prophetarum loca, in quibus Christi passio, et mors praedicuntur, ejusmodi adjuncta praeseferunt, quae ipsum a cruce pendulum innuunt, sicuti illud Zacch. XII. 10., ab Evangelista Joanne (C. XIX.37.) allatum: *Videbunt in quem transfixerunt*. Tutissimam autem horum Vaticiniorum investigandorum viam esse existimo Novum praecipue Testamentum, ubi aliqua eorum designatio reperiatur, atque patres reperiri tradiderint: quibus e fontibus omnis Ecclesiae doctrina, omnis sacrorum librorum Veteris Testamenti interpretandorum christiana ratio manavit. Viam e contra maxime lubricam omnem censeo, quam quispiam, nulla Ecclesiastica de-

ductione directus, suismet excogitationibus se permittens, ingrediatur.

Haec habui, quae breviter, atque animo ad alia, quorum *cura versat in pectore fixa*, properante dicerem....

FINIS.

NOS FR. PIUS JOSEPH GADDI

SAC. THEOLOG. MAGISTER ORDINIS FF. PRÆDICATORUM HUMILIS VICARIUS GENERALIS ET SERVUS.

Cum opusculum, cui titulus De Voce *chen* in *truncum*, et *trunco* in *crucem* versis etc. ab A. R. P. Mag. F. Mauritio Benedicto Oliverio Prov. nostrae utriusque Lombardiae compositum duo ex Ordine nostro Theologi recognoverint, et in lucem edi posse probaverint; Harum serie, nostrique Officii auctoritate concedimus, quantum in nobis est, ut in lucem edatur, servatis servandis. In quorum fidem hisce sigillo Officii nostri munitis subscripsimus propria manu.

Romae in Conventu S. Mariae supra Minervam die 28. Octobris an. MDCCCXVII.

Fr. Pius Joseph Gaddi Mag. Vic. Gen. Ord.

Loco ✠ Signi.

Reg. pag. 24.

Fr. Joseph Vincentius Airenti S. T. M. Theolog. Casanat., et Socius.